



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XXXVII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

quam emoriturum, & bona fortunæ mures sinistrorum casuum rudent. Ut taceam æternas, quas Deus tibi reservat in altero sæculo plagas.



FASCICULUS XXXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 1. Regum, in quibus describitur Consultatio Philistinorum de restitutione Arca. Israëlitarum pœnitentia & adhortatio Samuelis.

N. 243. Considera I. **P**hilistæos propter Arcæ præsentiam horrendis cladi-
bûs attritos, eandem Israëlitis reddituros, consilium
instituisse, dicentes cap. 6. v. 4. *Quid est, quod pro delicto reddere debemus illis? ubi tandem unanimi voce votoque conclusum: juxta numerum Provinciarum Philistinorum quinque Anos aureos facietis & quinque mures aureos &c.* Statutum hoc illicò in opus redacturi tales bestias præstantissimo adjunxerè thesauro, in curru vehendo. Quod verò in hac Historia admirationem provocat, est hoc vel maximè: quòd sacer textus scripturæ talium animalium mentionem faciens, ea nomet versu 8. *vasa aurea*: quâ ratione enim deformes vilissimique mures tam pretiosa vocentur vasa? S. Greg. M. sensum moralem hîc secutus, per abjectissima hæc insecta intelligi asserit *peccata nostra*, quæ dum per veram & sinceram confessionem clavis Ecclesiæ subjicimus, auri naturam excellentiamque mirâ metamorphosi induunt. Atque hinc Propheta regius conscientiam hominis, per confessionem purgatam sub ornatissimæ Reginæ habitu & figura nobis repræsentat Psal. 44. Ille publicanorum Coriphæus, Zachæus nomine, vix sua confitendò detexerat peccata, illicò domum suam in Sanctuarium mutavit, supremo Cœlitum hospite dignum, audiens; *hodie in domo tua oportet me manere*, Eâ ipsâ die, quâ Disinas
infa-

infamis ille latro exclamavit: *nos digna factis recipimus &c.* turpissimum crucis patibulum splendidissimo permutavit Paradiso. Inter omnes Patriarchæ Jacobi filios unicus Judas regale solium obtinuit promeritus etiam, quod ex ejus stirpe carnem humanam divinum assumpserit verbum quæris unde hæc ei prærogativa? aliam hujus causam sanè non invenes, nisi sinceram delicti confessionem, nam Chaldaea legit: *Juda tu confessus es, & non erubisti, in te confitebuntur fratres tui &c.* ingeniosè advertit Galfridus Auctor antiquus, miserandam illius hominis sortem, qui ad regales Nuptias ingressus in veste non nuptiali comparuit, eaque de negligentia reprehensus à Rege obmutuit Matth. 22. quare ad tenebras exteriores damnatus serò forsan dolore suam damnavit audaciam. Quærit hîc præfatus Auctor: cur tam severum expertus sit Judicem ob culpam, quæ videatur tam levis? enim verò si vestitu vulgari gravem commisisset culpam, tunc eum non amplius *amicum*, sed inimicum vocasset, Subesse ergò aliam causam tam rigorosæ sententiæ, à Rege in hunc hospitem latæ, quam se reperisse putat, dum perpendit verba Evangelii: *At ille obmutuit.* Id est: illò instanti, quò reprehensus siluit, dixit Rex ministris: *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores &c.* in hoc ergò se reum damnationis effecit, quòd siluit, qui culpam suam humili ore confessus, inter primos regalis mensæ hospites fuisset adlectus.

Audiantur pro coronide pulcherrima verba S. Petri Dam. Serm. 1. de Dedicat. dicentis: *Hæc*, nempe humilis sinceraque peccatorum confessio, est via communis ad Deum, fons tam justis quam peccatoribus patens, puteus, qui criminum abundantiam abundantiore liquore detergit: primam reddit Innocentiæ stolam, & fugitivum filium in paternos revocat amplexus. Ex hoc fonte felices Apostoli lacryma profluxerunt, in hoc peccatriciæ semina demonia sunt submersa, per hunc adulter & homicida David Spiritu principali legitur confirmatus, in hoc felix ille Latro voluptatus est, qui brevi fonte crucis de patibulo ad Regnum, de supplicio in Paradisum translatus est &c. Quare ò Christiane Lector! ut & mures peccatorum tuorum mutantur in vasa aurea, Deo gratissima; hinc ocius ad Levitas Ecclesiæ directâ viâ te confer, reclusis prius vitulis verecundiæ & humani respectûs, ne post tergum tuum clamantes, tibi impedimento sint. Hòc officio perfunctus, summo cum gaudio aspicias Arcam, in qua servatur Manna cæleste, nullum inde cum Bethsamitis damnum passurus.

Considera 2. Israëlitas sua peccata, quibus Deum graviter offenderant, N.244.

Uu 3

derant,

derant, dignâ Pœnitentiâ deleturos teste S. Scripturâ cap. 7. v. 6. effudisse aquam in conspectu Domini, & jejunasse. Hæc autem Cereonia meritò ansam præbet curiosæ quæstioni: quænam videlicet inter aquæ effusionem & jejunium, detur proportio? sed & facilis huic quæstioni est responsio, in hoc sita: quòd sicut aqua corporis affusa, maculas ejus aufert, ita jejunium animæ sordes depurget. Hinc asserit Tertul. advers. Phys. cap. 7. *deliquerat Israël, sed in aquatione congregatus est: ita statim jejunium delictum diluit &c.* Apostolus Paulus Neophytos Collofenses admonet: ut exeuntes veterem hominem cum actibus peccato obnoxiiis, novum induerent cap. 3. v. 9. ait: *exspoliantes vos veterem hominem &c.* Verum si quaratur, quò modò exuendus sit homo ille antiquus, peccatorum sordibus conspurcatus? reponit nomine Apostoli S. Cyrillus Jerosolym. catechesi 3. *quilibet serpens in angustum locum intrans deponit senectutem, & vetustatem per extensionem exiit, corporeque denud totò renovatur: sic & tu intra per angustam portam, affligens te ipsum per jejunium, expelle tuam perditionem, exue veterem hominem cum actibus suis, & dic illud, quod in Cantico: exspoliavi me tunica meâ, quomodo induar illa? S. Chrysologus pulchram similitudinem desumens ab agricultura, ista omnia confirmat, dum ait serm. 41. jejunium evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat mentis & corporis. Prodigus ille filius totam parentis sui domum ad iracundiam & vindictam commoverat, quando auditus est in hæc Verba erumpere: *Pater! da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit Lucæ 15.* & acceptis pecuniis tam nefarie, & turpiter abusus, illorum animalium induit naturam, quorum postea pastorem agere coactus est. Quid autem facti tandem pœnitens factus apprehendit, ut in gratiam offensi rediret parentis? *en! cepit egere, & fame affici maximâ, quâ stimulante repetiit paternam domum, & in genua provolutus stolam primam obtinuit.* Quare ô Christiane! si instar Israelitarum cupis per veram pœnitentiam redire ad Deum, toties à te offensum, tunc juxta Samuelis monitum v. 3. *cit. capitis aufer Deos alienos de medio tui.* Non quidem Baalim & Astaroths, sed Cererem & Bacchum, & per discretam abstinentiam prepara cor tuum Domino. Afficies strage maximâ Philistæos, vitia videlicet, quibus hæctenus es impugnatus, & victus: non aulura imposterum venire in terminos corporis & animæ tuæ, erisque Rector appetituum tuorum instar Samuelis respectu Hebræorum, cunctis diebus vitæ tuæ,*

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 8. 9. & 10. lib. 1. Regum, in quibus describitur filiorum Samuel, quos Judices Israëlitarum ille constituerat, illaudabile Regimen: & hinc ab Illis petitus Rex, id egerrimè ferente Deo. Saulis laus, asinas inquirentis, Prasagium de Regno, unctio in Regem &c.

Considera 1. **P**roverbium illud, quod in Josepho Jacobi Filio, to. N.245. tius Aegypti Prorege, locum non invenerat, invenisse talem in filiis Samuel, ipsò factò testantibùs: *Honores mutare mores, sed raro in meliores.* Enim verò Illi vix Honorem assecuti fuerant, cùm ecce! toti quanti à patria degenerarunt pietate, asserente S. Scripturâ cit. capite: *& non ambulârunt filii ipsius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam, & perverterunt Judicia.* Hòc pessimò exemplò deterritus S. Greg. M. honores non tantùm ipse fugere, sed parem aliis fugam suadere, & subjectionem amare docuit, dicens in hunc locum: *ut sit nobis sub cura majorum positus indefinens sanctæ vitæ studium &c.* Sponsa bis, terque ad coronam vocari debuit Cantic. 4. sat gnara: ad conservandas virtutes præstare milliès subesse, quàm præesse: ut enim fumus ascendendò deficit, ita plerumque homo cum elevatur, à virtutis tramite recedit. S. Lucas de Deipara testatur Virgine; Illam summa cum festinatione tendisse ad domum Elisabeth cognatæ suæ, ut eidem à servitiis staret: econtra cogitabundam, & stupenti similem hæsisse ad respondendum Angelo, quando ab illo humilibùs verbis salutata audiit: se in Matrem Dei; & hinc in totius mundi Dominam electam esse. Quare Christiane Lector! pete à Deo: *ut constituat tibi Regem, habeatque ille Jus in omnia tua.* v. 5. citati cap. & licet te pœniteat subjectionis, quando nonnunquam à Superiore durius tecum agitur; jugum tamen non nitaris excutere, sed dicas cum Israëlitis v. 20. hujus cap. *nequaquam: Rex enim erit super nos.*

Considera 2. Quàm insigne testimonium, & solemne Encomium N.246. ipse Spiritus Sanctus pro Saulis persona deponat: ait enim cap. 9. v. 2. *Saul electus & bonus, & non erat de filiis Israël melior illò.* Tunc temporis fuerat tantæ Humilitatis: ut delatò ad aures suas rumore, quòd in Regem totius Hebraicæ Gentis sit ungendus, ociùs exclamârit v. 21. citati cap. *Nunquid non filius Jemini ego sum de minima Tribu Israël, & cognatio*

rio mea novissima inter omnes familias de Tribu Benjamin? quin imò ad regale solium jam actu sollicitè quæsitus, sese abscondit cap. 10. v. 21. Quæserunt ergo eum, & non est inventus. Adeoque opus erat, ipsum revelante Deo fieri manifestum, id testante S. Scripturâ v. 23. citati cap. Taceo virtutes alias, quæ humilitatem cùm Principem suam venerantur, ei que conjungi solent. Verùm ò quàm longè diversa his virtuosis Regni Principiis secuta sunt tempora! quot enim Tyrannides, Impietates & Sacrilegia per Rationem statûs patraverat Saul, obtentum Imperium ad mortem usque possessurus? docens exemplò nimium certò, verisimum esse estatum illud Gregorii M. 3. Pastor. dicentis: plerumque Justos, dum temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpam comprehendit. Habet hoc Diabolus; ut peritum jaculatorem imitetur, qui scloperum in aviculam non solvit, quamdiu illa per terram saltitat, expectans donec per alas in altum sublata, ramis arborum insideat. Haud aliter ille se gerit erga pios homines, non præsumens eos ad flagitia impellere, quamdiu in humilis fortunæ statu eos reperit ambulare. Quare Philippus Abbas ad locum, in quo Saul miserè cecidit, ingeniosè reflectens ait: Spiritum Sanctum testari, in Monte Gelboë generosissimos & fortissimos Israël occubuisse; quia plerumque (verbis utòr citati Abbatis lib. de Dignit. Cleric. c. 18.) qui in plano & humili videbatur stare, securius & stabiliter ambulare: cùm ad arduum & lubricum venerit, adversario fortius impugnantem non resistit, nec persistit in ea, quæ ceperat Sanctitate. Hinc Christiane Lector! adhortor te verbis Doctoris Angel. cap. 1. de erudit. Princip. dicentis: recumbe in novissimo loco: hic est locus congruus homini, qui est terra & cinis: terra enim non congruit esse in alto, quæ est infima Elementorum. Cineri enim non congruit, ut in alto sit, ne dispergatur à vento. Satiùs est utique: quærere cum Saule asinas, quàm stabilitatem Regni; quærendò enim in humili subjectione asinas, Regnum invenit, quærendò ejus stabilitatem, Illud totum perdidit. Satiùs itidem est: locum quærere in pede Triclinii, quàm in ejusdem capite, vesci communi cibò, quàm speciali armò, abluì aquâ, quam ungi oleò in Regem. Versari inter Idiotas, quàm inter Prophetas, altissima speculantes, à Populo parum æstimari, quàm audire voces acclamantium; Vivat Rex!

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. 1. Reg. in quibus describitur sevitia Naas in Jabes, victoria de eo reportata. Liberrima Populi castigatio facta à Samuele. Philistinorum expeditio, defectus armorum apud Israëlitas &c.

Considera I. **D**æmonem, juratum animarum nostrarum hostem, *N. 247.* imitari Naas Amonitem; ut enim homines semel per tentationes debellatos, & à se feliciter victos tutò possideat, cum illis foedus inicit, talibus expressum verbis citati cap. *in hoc seriam vobiscum foedus, ut eruam omnium oculos dextros.* Oculus iste ratio humana est; culter ad eruendum hunc oculum, à Dæmone assumptus est gula & ebrietas: his enim vitiis qui indulserit, quasi cæcus in quævis vitia præceps agitur. Quotidianò inquit S. Leo Serm. de jejunio, *experimentò probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis haberi, & teste S. Hieron. nihil adeò obruit intelligentiam, sicut comestio & ebrietas.* Electus ille Populus, quamdiu in Ægypto coquendis lateribus occupatus, arctò pane & aquâ vixerat, divinarum rerum florebat intelligentiâ & pietate in Deum: at quamprimùm inde eductus cœpit manducare & bibere, cœpit etiam ludere, lusu planè haud aliò, quam quò Deus illuditur, carnalia sectandò vitia. Dein adeò rationem omnem hòc lusu perdidisse visus est, ut exclamârit amens: *Hi sunt Dii tui &c.* Docuère præcedentia, in libro Levitici enarrata: quòd in Holocaustis Deo offerendis, si quæ constitissent ex avibus, vesicula gutturis depōnenda fuerit. Hòc mandatò divina significaverat Sapiencia, animas hominum ineptas esse ad cœlestium rerum agnitionem, ad quam instar avium elevari eas oporteat, quando vesiculam gutturis, ciborum & potuum receptaculum, deferant plenam. Hinc ait Isid. lib. 1. Sent. 42. *Gula saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque evanescere facit; & Plato interrogatus quondam: unde tanta ei de terrenis æquè ac supernis venerit scientia? responso dedit: plus consumpsi olei de lampade, quàm vini de calice.* Hinc Christiane Lector! arripe cum Salomone consilium, dicente Eccles. 2. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferam ad Sapienciam. Id autem consilii si in effectu compleveris, insiliet in te Spiritus Domini, sicut in Saulem capite citatò, & percuties Ammonem, Diabolum videlicet, per gulam &*

ebrietatem tibi insultantem. Eris in te *innovaturus Regnum Dei*, & immolaturus per mortificationem *Hoflias pacificas* omnium virtutum Deo gratissimas.

N.248.

Considera 2. Quàm insignem Superioribus Doctrinam exhibeat Propheta Samuel, testatus suam in reprehendis vitiis libertatem, nullis unquam muneribus ligatam cap. 12. v. 3. Præluferat ibi Apostolo Paulo, Actorum 20. de se profitenti: *Contestor vos hodiernò die, quia mundus sum à sanguine omnium; non enim superfugi, quò minus annuntia-rem omne consilium Dei vobis.* Superior, qui vel ex negligentia, timore aut amore remissus est in corrigendo, instar mortuæ Imaginis se gerit, ad fugandas aves orditæ: hæc namque successu temporis nihili curatur: atque sicut Janitor, qui juxta hospitium pictus, gladium manu vibrat, intrantes quasi transfossurus, nullum ab ingressu arcet: ita Superior, qui non & liberâ & acri correctione in subditorum vitia invehitur, ab illis patrandis neminem deterret. Christus Dominus veri Superioris partes in hoc passu strenuè expleturus, asserit Joannis 15. *Ego sum vitis vera, vos palmites.* Sed quis nescit: palmites præcisò omnî respectu putandos esse, ut fructificent? hinc testatur Evangelium, Discipulos toties ab eo acribus verbis castigatos esse, quoties deliquerant, audire coactos, quòd sint homines *modicæ fidei, vel tardi corde ad credendum.* Quin imò Petrus ipse Apostolorum Princeps rigidam à Magistro hoc subiit censuram, quando *Sathanas* vocatus est. Quare si & tu veri Superioris vices agere vis ò Christiane! depone omnem metum in corrigendo, futurus alias alieni peccati reus. *Molestus est Medicus furenti phrenetico, ait S. August. Epist. 50. & Pater indisciplinato filio: ille ligandò, iste cadendò, sed ambo diligendò. Sin autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelitas est.* Videns ergo subditi tui peccata, quantociùs Samuelem imitans dic cum illo v. 13. cap. 13. *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Dæmon, cum noverit: quantum acrior Superioris correctio suo Regno damnum inferat, instar Philistinorum se gerit, nolentium fabros ferrarios pati Israëlitis v. 19. cit. capitis, ne illi lanceis & gladiis armarentur, quibus eos debellarent: ita rigorem omnem vult à Superioribus exulare, timens, ne subditis à peccando sic deterritis, ipse eorum virtutibus oppugnaretur.

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 14. & 15. lib. I. Regum, in quibus describitur Jonathæ Victoria de Philistæis obtenta, ejus condemnatio propter esum savi. Saulis inobedientia & agnita culpa.

Considera I. **A**Usteriorem hominis Christiani vitam esse similem N.249. virgæ illi, quam cap. 14. Jonathas extendens, & retrahens sensit melle dulcissimò intinctam, quod gustavit, manu ad os applicatâ. Est non diffiteor; in suo principio amara via Dei, & perfectionis Christianæ semita: at successu temporis abundantî supernarum dulcedinum nectare & melle inebriat viatores. Quis enim unquam induci potuit: ut crederet, Davidem majus ex cilicii sui duritie, quàm ex regalis Purpuræ & Chlamydis mollitie gaudium atque delicias hausisse? & tamen ille ipse liberrimâ voce testatur Psal. 29. *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.* Quis persuaderi posset: præfatum Regem majori Jubilò exultâsse in Atrio Tabernaculi genuflexum, quàm in regali throno sedentem? & tamen sine fuce canit Psal. 83. *Melior est dies una in atris tuis super millia.* *Elegi abjectus esse in Domo Dei mei, quàm habitare in Tabernaculis peccatorum.* Quis fletus & amaras lacrymas diceret copiosò gaudiorum semine fecundari posse? & tamen idem profitetur Psal. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Verùm, ut optimè Magister mellifluus advertit Serm. 22. in Cant. *in hujusmodi non capit intelligentia, nisi in quantum attingit experientia.* Quare sicut frustra laborat, qui præstantissimi cujusdam vini saporem & generositatem deprædicans, nullos acquirit homines, qui illud labiis suis gustent: ita sine fructu S. Paginæ dulcedinem spiritualis piæque vitæ nobis laudant, nisi ausu virili eandem experiri conemur. *Gustate, & videte,* admonet Propheta regius me & te Christiane Psal. 33. *Quam suavis est Dominus.* Induamus ergo cum Jonathæ generosum animum, & in hostium nostrorum (passionum videlicet inordinatarum) castra irrumpamus, gladiò mortificationis prosternentes, quoscunque obvios. *Non comedamus in saturitate panem instar Jonathæ Victoris, donec de talibus inimicis fuerimus strenuè ulti.* Fiet perbrevis, ut agnitâ mundanarum deliciarum vanitate, dicturi simus cum Jonathæ: *pau-*

lulum gustavi, & ecce morior! cit. capite. Sed morte, quæ nobis dabit vitam spiritualem.

N. 250. *Considera* 2. Saulum Regem, qui contra expressum Dei mandatum Regi Agag & optimis gregibus pepercit v. 9. cit. capituli 15. atque hinc iuste divinam in se provocavit iram, figuram esse illorum Concionatorum, qui respectibus Personarum aguntur, non æquali vindictâ in Magnatum, sicut in pauperum & abjectorum delicta invehentes; nonne enim veri Concionatoris est, juxta Isaiaë monitum c. 58. quasi tubam *exaltare vocem*: adeò, ut sicut tuba absque ullo discrimine Duces æquè ac gregarios milites ad bella convocat, ita Ille Magnates ac plebem à vitiis ad virtutes pari audaciâ & sermonis sãerî energiâ evocare nitatur. Nonne Deus teste David Psal. 103. fecit *Ministros suos ignem urentem*? sed quis nescit: ignem eadem vi altissimas Cedros ac humiles pinos apprehendere? urere, & consumere? nonne juxta effatum Christi, Concionatores sunt *Lux Mundi*? Matth. 5. at quis ambigit: Lucem Mundi eodem oculò divites ac pauperes, nobiles ac ignobiles aspicere, & illustrare? pulcherrimè ad propositum nostrum Prædicatoribus prædicat insignis ille Prædicator Bassæus Dom. 2. Advent. dicens: sicut venator nulli animali parcat, & nullum super fugit laborem: ut modò lepusculum, modò vulpem, modò cervum, modò aprum, aut lupum, aut aliam comprehendat feram: ita Concionator suo muneri satisfactorius, modò agricolam aut rusticum, instar leporis meticulosum, modò causidicum instar vulpis astutum, nunc lupos & apros Præfectos militum provinciarum depopulatores, nunc cervos Reges & Principes in casses trahat. Quare si Concionatorem agis Christiane Lector, imiteris *Balaam*, qui non tantum plebi, sed & Regi dixit audacter Numeri 24. *Non potero præterire sermonem - sed quidquid Dominus dixerit: hoc loquar.* Imiteris pariter *Samuelem*, qui nullum in lingua sua frenum patiens v. 14. citati cap. Saulem increpat, dicendò: *quæ hæc vox gregum, quæ insonat auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* & v. 19. ejusdem cap. *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus es ad prædam, & fecisti malum in oculis Domini?* tam sancta audacia, si tuo & aliorum Prædicatorum viveret in ore, tunc haud dubiè divinâ adjuvante gratia fiet: ut multæ Magnatum & Nobilium Personæ, à vitiis suis deterritæ, cum pœnitente Saule sint exclamaturæ v. 24. *Peccavi! quia prævaricatus sum sermonem Domini.*

FASCI.